



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

V. Maii. S. Gothardvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

S G O T H A R D V S, ad Altachium inferius honestis parentibus natus, ab idem primum sacrorum ordinum gradum hypodiaconi indeptus, religionem profitetur, A. C. CMXCVII. à S. Wolfgango Sacerdotio initiatur, tandem pijs vitæ institutis & doctrinâ facile præstantissimus cum esset, coenobio Abbas præficitur, vbi multorum extitit Pater monachorum. Postremò Episcopus Hildeshheimensis A. C. MXXXII. creatus, munus Episcopale, quod inuitus suscepit, magna cum laude XIV. annis religiosè gessit: Ecclesias, Monasteria, & Xenodochia plurima erexit, & opera supra naturam mirifica patrauit.

Perduelles ex subiectis quosdam anathemate ictos cum sacrificij tempore templo de more excedere iussisset, illiq; contumaces resisterent, ex dudum sepultis, quos anathematis vincula strinxerant, de tumbis surgunt, templumq; egrediuntur; quos pudore suffusi viui illi rebelles etiam sequuntur. Godehardus adhortatione acri ad subiectos, quibus mortuos obsequentiores haberet, viuis adhibita, defunctos censurâ soluit, qui capite Pontifici inclinantes ad suum quisq; tumultum redeunt.

Demùm Ascensionis Dominicæ festo, cum Antiphona illa in Ecclesia caneretur, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, eius anima quoq; in caelum conscendit, Angelisq; est associata. A. C. MXXXVIII. Multa


vbiq; mentio sanctissimi viri, quem Innocentius II. P. M. in Viennensi Concilio Diuorum Albo adscripsit,

Ex Surio, & Bau. sancta.



A. M. V.

S. GOT.



S. GOTHARDVS. EPISC. HILDESHEIM. ORD.

S. BENED.

*Dum iacit in duros GOTHARDVS fulmina ciuit:
Desumti tumulos deseruero suos.*

Handwritten note on the right edge of the page, possibly a reference to the feast of St. Gothard.

Handwritten Roman numeral III.

I

VLMAH

OT.

MAOI 2